

Dei in homine pugnat semper in amorem proprium et concupiscentiam, quæ amorem Dei conatur tepefacere, eoque paulatim ascendit ut homo Deum longe plus quam seipsum ex toto corde diligit. Primo enim, consumit timorem pœnæ servilem, qui in amore proprio fundatur: ut jam non formidine pœnæ, sed virtutis amore Deo serviat. Deinde, consumit etiam paulatim mercenarium illum amorem, qui præmia sibi a Deo expectat; ita ut etiam gratis Deum amare et colere velit. Denique, ad summum amoris gradum, qui in terris haberi potest, ascendit, ut Deum longe plus quam seipsum diligit; in eoque amore crescit semper, ita ut non modo peccata, sed etiam impedimenta quæ ab actuali Dei amore retrahere illum possunt, amovere studeat: sicque ad amorem beatorum qui semper actu Deum amant quam proxime accedat, tandemque in amore totus liquefiat, et holocaustum fieri desideret. Videre hoc est etiam suo modo in amore naturali. Videmus enim parentes seipsum spoliare rebus suis, ut ditent et extollant filios. David omnem suum thesaurum non sibi corrogavit vel applicuit, sed Salomoni filio. Eidem solium sublimius a suo optavit ut colligitur ex III. Reg. c. 4. Rebecca ut filium quem amabat, paterna benedictione auctum videret, non timuit se periculo execrationis maritalis exponere, Gen. XXVI. Agrippina Neronis mater audiens se a filio occidendam, si is imperator fieret: *Occidat, modo imperet*, ait. Quin et animalia bruta videmus ori proprio pabulum subtrahere, ut habeant quod edant pulli. Visæ sunt ciconiæ in Delphio Batavorum oppido conflagrante pulvis suis, quos implumes incendio subtrahere non poterant, commori anno 1086. teste Georg. Bruin. in Delphio. Quid mirum ergo, si et amor supernaturalis ad eam tendat perfectionem, ut Deum millies plus quam seipsum diligit, nec quidquam faciat propter commodum proprium, nec Deum ad se ordinet, nec honorem aucupetur aut quid aliud quærat, sed omnia cupiat, propter illum quem amat plus quam se? Quid mirum si pro ipsius bono et gloria omnibus se periculis ipsique morti exponat? Tales apostoli, Paulus, Franciscus Xaverius, qui pro amore Christi, impendi et superimpendi, adeoque amoris holocaustum fieri optabant.

VI. Ebrietas facit ebrium discurre per plateas, obvios invadere, alios provocare ad bibendum et ingurgitandum. Audi provocantes: *Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras et multo amplius*, Isa. LVI. Ita amor Dei quasi obligatis oculis incurrit etiam in alios, quo inflammet eos amore, et si posset, totum mundum, nec quemquam reveretur. Visum hoc in apostolis, qui igne Spiritus sancti

accensi velut sanctæ quædam furie per orbem discurrerunt et amoris divini facibus eum inflammare undique contenderunt, ita ut pro insanis haberentur. Paulus Agrippam regem, Festum præsidem aliosque iudices suos, dum pro capite suo respondere debuit, convertere ad Christum et fidem, cuius gratia vincetus erat, contendit: *Opto apud Deum et in modico et in magno non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales qualis et ego sum, exceptis vinculis his*. Unde Festus ei dicebat: *Insanis Paulus, multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, Act. XXVI. In quæ verba S. Bernardus, tract. de nat. divini amoris, c. III. ait: « Mirumne erat, si insanire pronuntiabatur, qui in ipsos mortis periculo ipsos iudices, a quibus pro Christo iudicabatur, ad Christum convertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sed Spiritus sancti ebrietas, in qua et in parvo et in magno similes eos sibi facere gestiebat, qui eum iudicabant. » Nota est S. Monicæ charitas, quæ non cessavit lacrymas fundere, donec filium cerneret ab hæresi Manichæorum conversum ad veram religionem. Diximus etiam alibi, quo amoris igne accenderit S. Elisabetha orans juvenem sæculo deditum; ita ut juvenis cœlesti igne æstuans comburi sibi videretur, juberetque eam cessare ab oratione. Scimus S. Franciscum Xaverium desiderasse, ut morte sua Sinarum salutem representare Deo posset, etc.

VII. Ebrietas lætum et hilarem facit ebrium, ita ut omnium suarum curarum et afflictionum oblitus, jubilet, cantet, gestiat, saltet, quasi ipsius felicitati nihil prorsus desit. Hinc Anacharsis interrogatus, num in Scythia essent tibicines respondit: *Ne vites quidem*. Significans saltationes et similes lætitiæ gestulationes prodire a vinolentia, Laert. l. 4. c. IX. Et quid facit amoris ebrietas? Hominem serenum, tranquillum, imperturbabilem, lætum tam in adversis, quam in prosperis facit, ita ut jugiter exultet et laudes Deo canat quasi jam beatus aut angelus quidam terrestris sit. Tunc enim omnia creata conquiescunt, et bene habent cum attingere centrum suum, extra id inquieta, et male, ut ita dicam, contenta sunt. Cum igitur homo centrum suum, quod est Deus, complectitur per amorem, quomodo ei non bene erit omniaque ex animi sententia evenire possunt? Quomodo non omnia habet qui summum et infinitum bonum habet? *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem nec flumina obruent illam*, Cant. VIII. hoc est, pericula, pœnæ, duri et acerbi successus, ut exponit S. Ambrosius, l. de Jacob et vita beata, VII. Est enim charitas ignis non terrenus, qui extingui aquis potest, sed cœlestis, qui nullatenus restinguitur, imo aquis tribulationum et

CONCIO VII.

PECCATI TENEBRÆ, SEU PECCATI TURPITUDO.

I. Peccati avus diabolus teterrimus. — II. Mater ejus nox et obscuritas. — III. Sorores ejus: 1. Occultatio. 2. Palliatio. — IV. Fratres ejus tenebriones. — V. Filiæ ejus: 1. Mors corporis. 2. Mors animæ prima, seu macula peccati fœdior morte corporis. 3. Mors animæ secunda. — VI. *Domus* ejus tartareum chaos.

THEMA.

Dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.
Joann. III.

Non poterat Dominus aptiore vocabulo describere nobis peccatum, quam vocabulo tenebrarum: siquidem hac una voce tota peccati parentela et natura quasi penicillo depingitur: scire namque volumus, quis sit peccati avus? Princeps est tenebrarum. Quænam ejus mater? Nox et obscuritas. Quænam ejus sorores? Abscondio et palliatio. Quinam ejus fratres? Fures, mœchi, latrones, ululæ, lupi vespertiliones. Quænam ejus filiæ? Mors corporis et mors animæ, prima et secunda. Quænam ejus domus? Tenebrosum et tartareum chaos. Jam vero, auditores, nonne vel pueris constat, nihil esse amabilius luce? Nihil fœdus et horribilius tenebris? Nonne munda animalia amicam habent lucem? Fœda vero tenebras? Quid igitur est in peccato quod amari queat, num avus, num mater, num sorores, num fratres, num filiæ, num domus? Non hæc omnia fœda, horrida et execranda esse, in hac concione ostendemus.

adversitatum magis accenditur. Patet in apostolis, qui: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Necnon in martyribus aliisque sanctis, qui nullis sinistris casibus a serenitate et lætitia mentis dejici potuerunt, sed in his sibi magis placere et gaudio inundavere.

VIII. Ebrietas parit insaniam et metamorphosin in homine, ita ut seipsum non agnoscat, nec ab aliis agnoscat idem esse qui fuit. Unde Chrysippus ebrietatem vocabat parvam insaniam, Stob. serm. XVIII. Ebrii se magnos et potentes credunt ad rerum dominos: in amores aliorum diffuunt, amplectuntur et osculantur se mutuo quasi intimi fratres essent; languent viribus corporis, vix pedibus consistunt, et a pueris debellari ac prosterni possunt. Hujusmodi insaniam, sed sanam et sanctam gignit etiam amor. Amantes enim Deum quasi omnipotentes sunt, dum omnia quæ desiderant, impetrare a Deo possunt. Hinc non absque arcano S. Lucas Theophilum, cui inscribit evangelium suum, vocat, id est, potentissimum; siquidem sonat diligens Deum. Quisquis ergo Theophilus est, is etiam potentissimus est. Præterea amans Deum Deo assimilatur in moribus et virtutibus, fietque secretorum ejus particeps; ita ut dicere cum apostolo queat: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*. Ac quemadmodum chamæleom colorem rei sibi objectæ induit, ita in amatum transformatur avus: amor siquidem est animæ impulsus et quasi exitus in rem amatam. Unde Augustinus: « Talis, ait, est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligit, terra es. Deum diligit, quid dicam Deus eris? Non audeo dicere ex me; Scripturas audiamus: Ego dixi: Dii estis. » Denique, qui ferventer Deum amant, sæpe in languorem virium, quandoque in extasin, nonnunquam in mortem incidunt. Testatur sponsa introducta in vinariam sponsi cellam cum viribus defecta clamat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cant. II. testantur sancti plurimi, sæpius in excussum mentis rapti: testatur Virgo Deipara, quæ non ex morbo aliquo, sed amore et desiderio fruendi Filio suo Christo languens expiravit, ut docent Canisius, Suarez, et alii ante ipsos.

Quando ergo tam præclari sunt effectus ebrietatis spiritualis, quam fœdi et absurdi sunt effectus ebrietatis corporalis, date operam, auditores, ut hoc amoris vino vos quoque impleamini: *Venite igitur, amici, bibite, et inebriamini, sharissimi*.

I. Quis igitur peccati avus: (patet enim est prava hominis voluntas)? Resp. esse diabolus, ipse enim, primus prævaricator, invexit peccatum in mundum. Quis vero est diabolus? *Potestas tenebrarum*, teste Domino, Luc. XXII. *Rector tenebrarum*, teste apostolo, ad Eph. VI. quasi dicant: Monstrum horrendum, informe, ingens, tetro atrore et horrore undique amictum et perfusum, ut nec scintilla lucis reperiri in eo queat. Nullus faber ferrarius, nullus Vulcani socius, nullus fumariorum tesor, nullus carbonarius tanto nigrore obsitus esse potest, ut ei vel in minimo comparari queat. Hinc enim pictores omnibus sæculis, quibus potuere modis, fœditatem ejus exprimere solebant, specie teterrima, draconum, bufonum, vespertilionum; vel monstrum e pluribus monstris confectum, cornibus hircorum, oculis felium, auribus asinorum, rictu leonum, alis et caudis draconum, pedibus gryphium, unguibus aquilarum aut harpyarum, dentibus ursorum, aut luporum, uberibus lamiarum, et si quid istis tetrius invenire potuerunt, totum id in monstrum hoc congerendum existimabant.

Nec injuria: nam quia per peccatum Deo se opposuit a divinæ pulchritudinis participatione longissimè abjectus, eiquè dissimillimus est effectus. Quare sicut Deus est candor lucis æternæ et speculum omnis pulchritudinis; ita dæmon per peccatum factus est tenebrarum princeps; hoc est, omnium tetrarum, horridorum, fœdorum, teterrimûs, horridissimûs, fœdissimûs. Quàm ob causam ipse in propria sua specie non audeat apparere, alienam placidam et blandam, ac sæpe formam angeli lucis assumit, nisi cum quem terrere aut ad orcum pertrahere vult, aut a sanctis cogitur. Quemadmodum coactus apparuit S. Antonio in specie horridi et nigri pueri, quò viso dixit Antonius se in posterum eum multo magis execraturum, ex quo tantam ejus fœditatem agnovisset, Athan. in vita. Plures sunt historiæ quæ ostendunt dæmonum aspectu ita homines conterritos, ut quandoque præ horrore exanimati sint. De Leopoldo Austriæ duce scribitur in additionibus ad Lamp. Schafnaburg. an. Dom. 1325. cum a Ludovico Bavaro captum opera necromantici cujusdam ad se missi evadere conatum. Hunc inter alia rogavit: « Si posset sibi diabolum demonstrare in proprie persona? At ille: Possum, inquit, sed nullus homo sine periculo corporis posset eum videre. Quò contumaciter respondente: Volo eum utique videre, et fidejussores statuit necromantico, ne in aliquo læderetur. Introductus est igitur in cœnaculum; ibi pariter residentes vident hominem asperum, nigrum et deformem introeuntem, quò viso dux dixit: Satis est, et statim ad lectum deductus mortuus est. » Atqui ut homines increduli et carnales veritatem istam firmiter sibi imprimerent, factum est in celeberrima civitate Silvæducis, cum maritus ebriosus rem habiturus cum uxore dixisset, se dæmonem gignere velle, natus est ex eo concubitu infans dæmonis specie, teter et deformis, qui simul ac natus erat, lascivire et saltitare cœpit. Narrat Hier. Torquemada, in horto florum. Quis igitur peccatum non æque ac dæmonem horreat? Quid enim a monstroso patre, nisi monstrosum gigni potest?

II. Quenam ejus mater? Resp. nox et obscuritas. Ita enim testatur Dominus in hodierno evangelio: *Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.* Quid igitur amat? Cum quò peccatum suum progignit peccator? Noctem amat, hanc adit, et cum ea fœde ludit, quando grave aut turpe aliquod peccatum gignere intendit. Audiamus S. Job. c. XXIV. *Oculus adulteri observat caliginem dicens: Non me videbit oculus, et operiet vultum suum, perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit*

aurora, arbitrantur umbram mortis, et sic in tenebris quasi in luce ambulant. Ita adultera illa, Ecc. XXIII. ait: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor?* Et illa Prov. VII. *Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies: non est enim vir in domo mea, abiit via longissima: eodem modo lascivi illi senes Susannæ insidiantes: Ecce ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt, etc.* Dan. XIII. imo etiam Cain, quando adhuc præter fratrem et parentes ejus nemo in orbe erat, ut necem inferret fratri, abduxit eum a paterna domo dicens: *Egrediamur foras.* In quem locum S. Ambrosius ait: *Latro diem rejagit, quasi criminis testem: lucem adulter erubescit, quasi adulteri consciam.* Pür ratio est de furto, mendacio, simulatione, hypocrisi, superbia et aliis peccatis, tametsi quedam eorum propterea quod communia sunt, pudorem saltem magnum continere non putantur. Ex his igitur patet, quam fœda res sit peccatum, quod in publico committere refugiunt vel improbi. Quæ sunt autem illa, quæ tenebris adjudicantur? Nonne sordes, nonne cloacæ, nonne secessus naturæ, nonne cadavera et catharmata, nonne abortivi fetus?

III. Quenam ejus sorores? Occultatio et palliatio. Prior illa in protoplastis enituit, quando perpetrato peccato, cognitoque se esse hudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata: et cum adverterent Dei adventum, absconderunt se inter fruteta paradisi. Cain item, teste Josepho, l. 1. antiqui. cap. II. fratre occiso, corpus ejus abdidit, ne proderetur ejus scelus. Et propterea credibile est ædificasse civitatem, ut quo tutior esset ab incursoibus, muris se includere. Imo et Moyses Ægyptio necem machinans prius undique circumspexit, ne quis adesset homicidii testis, percussumque sub sabulo abscondit, ac cum videret palam factum esse, aufugit, Exod. II. Bene ergo iniquitas a veteribus pingebatur, quasi femina vestita igne et flammis, quæ concito cursu fugeret, in emblem. Cæsaris Ripæ, pag. CCCLXXIX. Animam enim perversi cruciat, et depascit dente remorsus sicut ignis lignum aridum; fugit, quia male sibi conscia plena est pavoribus, atque omnia etiam tuta loca timet; quoniam et umbras expavescit. Quis autem non videt absurdissimum opus esse debere, quod ipse ejus auctor, nullo alio judice damnat, et ab hominum oculis quantocius abscondit. Id vel Juvenalis, satyra XIII. vidit, cum cecinit:

Exemplo quodcumque malo committitur ipsi,
Displicet auctori, prima est hæc ultio: quod æ
Judice, nemo noceus absolvitur.

Quam horridus et montrosus deberet esse fetus ille, quem editum in lucem pater nullo pacto aspicere, sed mox in cloacam aut fornacem abjicere moliretur! Id quod jam machinabatur tali filio suo ejusque matri Cassanus Tartarorum rex, an. 1298: apud Joannem Villan. l. VIII. cap. XXXV. Et quanam opera nostra ab hominum oculis abjicimus, nisi fœda et abominanda, ut fimum, spûta, vomitum, pus, etc. Altera est palliatio. Tam deformis est enim peccatum, ut in propria specie non audeat prodire, quia tunc a nemine amari possêt, omnium odio et execrationi expositum foret, prodit igitur sub pallio virtutis et boni alicujus, atque specie objicit se voluntati. Unde S. Græg. l. III. mor. *Vitia, inquit, deceptæ menti quasi sub quadam ratione se ingerunt.* Superbia ut converteretur cum hominibus et benigne habeatur, pallium humilitatis induit, simulat se refutare honores, existimationem, laudem, et tamen eadem hæc longe ardentius quam famelicus panem appetit. Unde Hieron. in Marc. *Superbia sub quibusdam humilitatis signis latet.* Quod maxime videre est in hypocritis, qui foris animi submissionem monstrant, intus elatione pleni sunt. Avaritia se tuetur pallio prudentiæ; corrogandum esse senectuti; futuris eventibus, periculis, morbis, liberis prospiciendum. Invidia charitatis speciem sibi affingit, quasi non gaudeat de alterius malo, nisi ut ipse corrigatur, desinat insollescere, etc. Ira zelum præterdit, quasi tantas injurias non deceat condonare inimico, ne secelestic evadat, et gravius nocere pergat; vel quia non solum te sed Deum etiam aut alios offenderit. Gula prætextum quærit urbanitatis, quæ jubeat in gratiam amicorum largius bibere; necnon tuendæ sanitatis, quæ crassioribus cibis et viliori potu facile offendatur, delicatiora quærere: Acedia pericula lædendæ valetudinis vitæque ante tempus abrumpendæ fingit: itaque pallium justitiæ assumit, quæ jubeat conservare propriam vitam et valetudinem. Interrogate aliquem tali vitio alicui obnoxium, cur eo se polluere audeat, statim ille obvertet pallium, ac dicet, nihil sibi cum vitio, cum superbia, avaritia, invidia esse; alio se collimare. Ecce quomodo peccatum prodit suam fœditatem dum tegit, et nisi larva virtutis tectum prodire in medium, non audeat?

IV. Quinam ejus fratres? Ex hominibus nebulones, tenebriones, fures, latrones, sicarii, clancularii insidiatores, mœchi et omnia Veneris mancipia. Ex brutis vespertiliones, bubones, ursi, lupi, serpentes, bufones, et quotquot in latibulis et antris degunt lucemque aversantur; quæ certe animalia ad horribilem formam damnavit natura; ut inde disceremus omnia

illa quæ tenebras amant, terra et execranda esse. Hinc Job cum se ab omnibus desirum, consputum, abominabilem factum ostendere vellet, hujusmodi belluis se comparat, c. XXX. dicens: *Frater fui draconum et socius struthionum,* Hebraice habetur; *Frater fui draconi et socius filibus ululæ.* Vult ergo dicere: Omnes me execrantur, et conspuunt quasi fœdem, horridam et pestiferam bestiam, draconem et bubonem. At hujusmodi sunt omnes, præsertim insignes peccatores. Quare, o perversa voluntas, vis scire qui sint fratres tui? Cain, Ismael, Esau, Sodomitæ, Pharao, Core, Dathan et Abiron, Achab, Saul, Achab, Jezabel, Aman, Holofernes, Sennacherb, Antiochus, Judas proditor, Caiphas, Herodes, Pilatus, carnifices Christi, Simon magus, Nero, Domitianus, Decius, Diocletianus, Maximilianus, Julianus, Valens et his similes. Uno verbo, quotquot execratur, exhibet, conspuunt, abominatur, et ad tartarum ablegat orbis christianus, omnes illi fratres tui, per omnia tibi similes, tua e parentela sunt, futuri etiam apud inferos socii, nisi resipueris.

V. Quenam ejus filii? Trés omnino; mors corporis, mors animæ prima, mors animæ secunda. Prima ergo et teste Job, cap. XVIII. *Primogenita* ejus filia est mors corporis, quam per primos parentes genuit et invexit in mundum, ut testatur apostolus ad Rom. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Quis autem non deprehendit, et quotidie manibus palpat, quam fœda, quam abominanda et horrida res sit mors? Morbi, ulcera, vulnera, dolores dentium, oculorum, stomachi et capitis, sæpe vires ita accidunt, ut formam corrumpant, et speciem corporis immutent; tametsi una corporis particula contenti, corpus totum non attingant. At vero mors omnia membra invadit, exugit, emungit, vastat, perdit, nec prius finem pessumidanti facit, quam nobilissimum animæ ædificium funditus subverterit. Aperiatur alicujus defuncti sepulcrum post paucos aliquot menses, et videatur ejus species; patibula adeantur, et illic inspicatur cadaver unius penduli, qui ante annum suspensus fuit. Qualis heu illa species? Quam homini dissimilis? Quam horrida, quam tristis imago? Quid diceret illius suspensi mater, si sibi filium undique corrosum, tabe fere consumptum, tempestatibus perustum, defluentibus eentonibus squalidum, ossibus tantum hærentem aspicere deberet? Heu me infelicem! diceret, itane ergo pactum hunc in utero meo gessi? Itane uberibus lactavi? Itane ulnis circumgestavi: toties osculata sum: tanta ambitione educavi? Itane tam horrendi monstri mater esse potui! Sed quid imus longe: domi nostræ recentes mortuus diu ferre

non possumus, quin tolli eos quantocius cupiamus. Offendunt enim oculos, nares, tactum, gustum, somnum. Nemo juxta mortuos somnum capere posset, multo minus pernoctare in sepulero, sub patibulo, vel cœmeterio ad ossium congeriem. Denique, ex Hebræorum lege nemini licebat mortuum tangere: domus ex funere polluebatur, Num. XIX. Et quis est qui vel mortuorum umbras non metuat?

Patet igitur hinc qualis sit ipsa mors. Quid vero superest dicendum, nisi eam parenti suo conformem esse, et sicut effectum causæ respondere? Sane juxta leges philosophorum, effectus naturam causæ suæ sequitur, sed non omnino assequitur. Lumen lunæ a sole est, nequaquam tamen adeo intensum atque lumen solare. Feror aquæ ab igne est, non tamen ita intensus atque est fervor ignis. Hinc ergo concedendum est, longe majorem fœditatem, horrorem et turpitudinem esse in peccato, quam sit in morte, quia hæc effectus, illud causa est. Idcirco qui sapuerunt, mortem, et quidem acerbam, millies incurrere: septem fratres Macchabæi dire excarnificari: tres pueri in fornacem injici: Susanna falso condemnari, quam peccato se contaminare maluerunt.

Altera filia est mors animæ, eaque prima: quæ nihil est aliud quam peccati macula animæ Dei gratia destituta aspersa et adhærens, eamque coram Deo reddens abominabilem. Ea vero longe fœdior est, quam prior. Primo, quia peccato e quo generatur, vicinior immediate sequens peccatum, sicuti mors corporis sequitur vulnus lethale. Quo autem unumquodque origini suæ vicinior est, eo plus de ea participat; quo vicinior igni aqua, eo fit calidior: quo vicinior quis carbonibus et fabrorum officinis, eo fit nigrior. Secundo, quia in anima, parte hominis nobiliore, posita. Testatur autem Aristoteles, 1. rhet. c. XIV. et ipsa experientia, vulnus aliquod brachio, pedi, manui aut alteri parti ignobiliore inflicto, minus pulchritudinem imminuere, quam si in facie conspiciatur. Tertio, quia viva quædam peccati, quod est ipsa turpitudine, effigies est. Ut ergo Deus velut sol pulcherrimam suam iridem, gratiam, imprimat animæ justis: sic peccatum fœdissimam maculam imprimat animæ peccandis. Quarto, quia ut ait S. Augustinus, mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria est. Turpissimum autem est sibimet malum accersere cum evitare possis. Quinto, quia hominem vita longe nobiliore privat! *Vita corporis anima est, vita animæ Deus*, inquit S. Augustinus, *et sicut expirat corpus cum animam emittit, sic expirat animam Deum amittit*. Atque tunc fit anima peccatoris, quod dixit Isaias, c. I. *Sicut umbraculum*

in vinea, et sicut tugurium in cucumerario et sicut civitas quæ vastatur. Ut enim æstiva hortorum umbracula, per æstatem adornata, adventante hieme deseruntur, et a tempestatibus pessumdantur ac subruuntur: ligna et statumina hinc inde disjiciuntur, ita per peccatum devastatur etiam anima, spoliatur omni decore, sordium fit habitaculum, imo et serpentum tartareorum, omniaque invertuntur: famuli hero imperant, passiones rationi, appetitus sensitivus rationali; pervertitur ordo et harmonia suavis, quæ erat inter vires animæ et corporis.

Tertia filia, quam Joannes, Apoc. XX. et XXI. appellat *mortem secundam*, est mors inferni æterna. A priore morte resuscitari potest anima, ab hac vero minime. In veteri lege, Num. XIX. præcepit Deus, ut qui cadaver hominis tetigisset, immundus fieret septem diebus, cæterum die tertio et septimo aspergeretur aqua lustrationis, et sic mundaretur. Quod si iis diebus aspersus non esset: *Periret ex Israel, et maneret spurcitia ejus super eum*. Cadaver tangit, qui peccato se coinquinat: contrahit ergo maculam et spurcitiâ coram Deo, a qua mundari debet per aspersionem sanguinis Christi, medio pœnitentiæ sacramento, tertio et septimo die, hoc est, in hac vita, quæ quasi una septimana septem diebus describitur. Cæterum si hanc purgandi occasionem neglexerit, mundari amplius non poterit, sed a regno Dei exclusus, et in profundum orci barathum quam longissime abjectus, æternæ et secundæ morti tradetur depopulandus, et manebit spurcitia ejus super eum per omnem æternitatem. Quemadmodum igitur sepulcra præparantur humanis et tegendis cadaveribus; vermes, corvi, lupi, canes iisdem depascendis, ne alioquin tot hominum et belluarum cadavera aerem inficiant; ita in expiatis illis peccatoribus, ne cælum et elementa fœdere et spurcitiâ sua contaminent, præparavit Deus profundissimam et tenebricossimam inferni cloacam, vermes item immortales omnisque generis pœnas ab eos depabulandos, ita tamen ut nunquam prorsus absumantur, sed instar graminis quod depascunt, boves, interim semper germinent et succrescant, quo iterum depascantur, et sic deinceps. Viderunt hoc et ethnici alicui, ut Homerus, Odyss. XI. Virgilius, VI. Æneid. qui ita canit:

Necnon et Tityon, terræ omniparentis alumnus
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: rostroque immanis vultur adunco
Immortale jecur condens fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

VI. Plutarchus, in l. de seranum. vind. quemdam

Inducit asserentem homines teterrimos scelerumque maculis notatissimos post mortem in obscuro quemdam, et qui reserari nequeat, locum intrudi. Socrates apud Xenophontem ait, impii animam in occultum sub terra locum migrare, et regionem illam æneis catenis undique vinciri. Sed au liamus testes fideles, David, Ps. XLVIII. eam mortem sic describit: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*, q. d. instar lupi rabidi perpetuo eos laniabit. S. Gregor. I. IX. mor. c. XXXIX. sic scribit: «Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia et mors semper vivit, et finis semper incipit et defectus deficere nescit. Mors perimit et non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam exurit.» Denique, ut appareat quæ domus debeatur tenebris peccati: «Inferni latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali,» inquit Hugo de S. Victore abbas, l. IV. de anima. Ergo peccatorum tenebras amet nunc qui volet.

CONCIO VIII.

FIDEI ET RELIGIONIS CHRISTIANÆ EXCELLENTIA, OSTENDENS EAM ESSE COELEM.

I. Magnifice de Deo sentit. — II. Mirifice Deum honorat. — III. Leges habet æquissimas. — IV. Favorem et magna præmia promittit bonis. — V. Perducit ad sanctitatem. — VI. Habet etiam et sectatur consilia cœlestia. — VII. Habet sacramenta, sacerdotium et sacrificium, qualia nulla religio. — VIII. Ad veram felicitatem perducit.

THEMA.

Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Joan. III.

Quid sit ista lux, quæ in mundum venit, non difficile est investigare. Est enim fides et doctrina Christi; quia uti lux a sole, ita fides et doctrina christiana a Christo, qui est sol justitiæ, procedit. Debet ergo fides, et per consequens religio christiana non e terra, sed e cœlo progeniem suam ostendere. Cæteræ religiones et sectæ ut ab hominibus tantum excogitatae fuerunt, ita cum illis quoque perierunt, nihilque prorsus solidi suis cultoribus exhibuerunt, nec exhibere poterant. Nos ergo ut in fide et religione Christi confirmemur, eique gratiores efficiamur, videbimus in hac concione, religionem christianam, solam, veram, ac cœlestem esse; veram lucem e cœlo in terras lapsam; non lignum putridum

aut lucentem vermiculum, quales erant sectæ aliæ. Audiamus.

I. Magnifice de Deo sentit. Aliæ sectæ parum recte de eo senserunt. Negarunt eum unum et solum esse, adeoque infinitum; ideo tam multos posuere deos. Negarunt eum immensum, et ubique præsentem esse, ideo alium deum assignarunt cœlo, alium aeri, alium mari, alium ruri, alium silvis, alium specubus, etc. Negarunt alii ejus providentiam, qua gubernet omnia: alii ejus omnipotentiam, qua creavit omnia, etc. At vero religio christiana.

Primo, asserit Deum absolute infinitum, uti Ps. CXLIV. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis*: et Baruch. III. *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus*. Consequenter etiam asserit Deum omni intellectui creato esse: *Incomprehensibilem*, Rom. XI. *Et lucem inhabitare inaccessibleem*, 1. Tim. VI. Item continere in se eminenter omnia, et quod: *Ex ipso et per ipsum, et in ipso sint omnia*, ut ait apostolus, Roman. XI.

Secundo, Deum esse immensum, et ubique per essentiam, quia ubique præsens est per potentiam, quia ubique dominatur: per inspectionem, quia omnia videt. Ita Ps. CXXXVIII. *Quo ibo a spiritu tuo, etc.*

Tertio, esse immutabilem, juxta id Malach. III. *Ego Dominus et non mutor*: Et Psal. CI. *Tu autem idem ipse es*. et hoc quoad omnes suas perfectiones, consilia, gaudia, felicitatem, voluntatem, etc. ita ut nihil novi ei accedere, nihil decedere unquam possit, licet omnia perirent, quæ extra ipsum sunt.

Quarto, esse æternum, qui nunquam incepit, nunquam desinet, quique omnia quæ in tempore fiunt, præterita, præsentia, futura ambit et habet sibi præsentia, unoque intuitu videt.

Quinto, esse omnipotentem, qui non modo fecit ea quæ facta sunt, sed præterea infinita alia, adeoque omnia facere potest, summa facilitate, in momento, e nihilo.

Sexto, esse summe sapientem, qui omnia et singula distinctissime videt, penetrat, comprehendit; neque ea solum, quæ reipsa sunt, sed et ea quæ esse possunt et ab ipso fieri: *Ipse numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomine vocat*, Ps. CXLVI.

Septimo, esse summe bonum, sanctum, benignum, providum, misericordem, patientem, mansuetum, clementem, etc.

Octavo, esse summe justum.

Denique, asserit has omnes persecutiones esse in Deo essentialiter, imo ipsam Dei essentiam: esse illimitatas et infinitas: esse fontes omnium aliarum perfectionum creaturarum, quæ ab illis profuunt et pendeant, ac respectu illarum adeo